

61



IESVM CHRISTVM,

OPTIMVM, MAXIMVM, TOTIVS TERRARVM
ORBIS PRINCIPEM, RECENS
GENITVM,
IPSO DIE,

NATALIBVS EIVS SACRO,

A. D. XXV. DEC. A. O. R. c^{lo} ICCC LI.
PIE ADORANT,

SCHOLAE CATHEDRALIS, QVAE NVMBVRGI
EST, ALVMNI,
ORDINI L. ADSCRIPTI,

PER
IOANNEM GOTTLLOB BITTORFIVM,
WITTEMBERG.

N V M B V R G I ,
STANNO IO. GVILIELMI BOSSOEGELII, PRIVIL. TYPOGR.

61.

AK



allia de nato jam principe laeta triumphat,
Laetitiamque animi vix capit ipsa sui.
Mittit ad externas properantia nuncia terras,
Atque voluptatem participare jubet.
Ecce! fremit plausu, atque animo quae gaudia cepit,
Discipit innumeris significare modis.
Aera displosis tormenta fragoribus implent,
Pulsaque in excelsis turribus aera sonant.
Omnis concurrit, soboli atque parentibus omnis
Turba hominum gaudens prospera fata canit.
Pars adeunt suavi resonantia carmine templa,
Parsque domi celebrant supplice voce Deum.
Munera mittuntur, festivis ignibus urbes
Colluent, Bacchi copia larga fluit.
Foedere conjugii sociantur mille puellae;
Conjugii subeunt foedera mille viri.
Splendida curantur convivia, largius omnes
Luxuriant potu, luxuriantque cibo.
Regia testantur variam spectacula pompam,
Lusibus haud solitis turba soluta vacat.
Illa recens genitus populis dedit otia princeps;
Illa animi populi signa dedere sui.
Laetitiam tibi nemo tuam, tibi nemo triumphos,
Invideat munus, Gallia, nemo tibi.
Sed majora refert jam munera nuncius aether,
Munera, quae totus, qua patet, orbis habet.

Divina terris ab origine nascitur INFANS,
Accinit, a coeli mittitur axe PVER.
Imperio aeterno totum complectitur orbem,
Limitibus regnum, temporibusque, caret.
Aeternus DEVS est, sua qui primordia rebus,
Cumque suis fines legibus, ipse dedit.
Aeternus PATER est, homines, genus illius estis,
Perpetuo in natos ardet amore suos.
ILLE hodie fragiles vestros, Deus, induit artus,
Virgine de casta nascitur ILLE Puer.
Vt fratres proprios SIBI vos adsciscat, ab EIVS
Vt sitis sanguis sanguine, carne caro.
Regni ut vos habeat socios super astra patentis,
Imperium ut vobis dividat omne suum.
ILLE quidem in vestris pauper versabitur oris,
Ne formam ILLIVS temnire, servus erit.
Ecce! domus stabulum est, pecori nulla arte paratum,
Pro lecto in foenis, straminibusque, jacet.
Vilia pro nitidis premit hic praesepia cunis,
Et viles panni membra tenella tegunt.
Sic puer accipitur, nec, si processerit aetas,
Fortuna dabitur prosperiore frui.
Ales habet, ramis suspensa cubilia, nidos,
Speluncam vulpes, qua requiescat, habet.
At rerum DOMINO terrae, mirabile dictu!
Non, ubi reclinet tempora fessa, dabunt.
Nec satis, infandis odii vexabitur, IPSE
Totus amor, bonitas, gratia, vita, salus.
Horresco referens, diro cruciata dolore
Membra haec sunt quandam subjicienda neci.
At sic, quae stringunt vos, durae vincula mortis
Rumpet, et expediet subdita colla stygi.
Et sic imperii inimicos exuet omnes,
His pede suppositum communietque caput.
At caput IPSE SVVM radians super alta levabit
Sidera, vos certa ducet ad astra via.
Et secum positos regali in sede, jubebit
Promissi imperii sceptrta tenere sui.
Gaudia, mortales, hoc Rege capeſſite nāto,
Laetitiamque novis significate modis.

ILLIVS pedibus procumbite, plaudite palmis,
Devotas casto pectore fertre preces.
Omnibus insolitum templis indicite honorem,
Haec est ante omnes festa putanda dies.
In laudes PVERI facundas solvite linguis;
Jucundos laeto fundite ab ore modos.
Aurea, sive ipso si quid pretiosius auro,
Est praefato, larga munera fertre manu.
Dixerat. At nobis, REX regum, MAXIME PRINCEPS,
Sollicitis precibus saepe petitus ades.
Accipimus merito TE plausibus; ore, manuque,
Laetitiae, et toto corpore, signa damus.
Volvitur ante pedes, TIBI figimus oscula, dona
Parva, nisi spernis, pectora nostra damus.
Pectora nostra damus, nec, quamvis vilia, spernis;
Vel tenue officium mens generosa probat.
Ista et amore TVI flagrant, et amore Parentis,
Haec, memini, pietas saepe probata TIBI est.
Ista TVVM merito numen venerantur honore,
Ista solent pacem poscere saepe TVAM.
Haec subiecta TIBI, TE supplice voce precantur,
Vt sint imperii pars modo parva TVI.
Jam TIBI sollemni dudum sunt foedere juncta,
Cum consecratis abluerentur aquis.
Fronte igitur placida veteranos accipe cives,
Ne nos a facie, quaeso, repelle TVA.
Adsumus obsequium TIBI jam praestare parati,
Fac, cives regni simus ut usque TVI.



78 M 496



TA-DO

K018

b7



61

IESVM CHRISTVM,

OPTIMVM, MAXIMVM, TOTIVS TERRARVM
ORBIS PRINCIPEM, RECENS
GENITVM,
IPSO DIE,

NAT^E EIVS SACRO,

O. R. cīc lccc li.

ORANT,

SCHO LIS, QVAE NVMBVRGI
VMNI,
ADSCRIPTI,

DB BITTORFIVM,
BERG.

VRGJ,
OEGELII, PRIVIL. TYPOGR.

